



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Manvale Sodalitatis B. Mariae Virginis. siue Exercitivm  
Spiritvale Christianae Pietatis**

**Véron, François**

**Coloniae Agrippinae, 1505 [i. e. 1605]**

6. Quid post Communionem faciendum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46577](#)

æternum bonum meum, melliflue & desideratissime I E s v , miserere mei, conunge me tibi; quia ego seruum tuus sum, & filius ancillæ tuæ, Ecclesiæ, & Mariæ. Paratum tibi cor meum, fiat mihi secundum verbum tuum.

## PARS SEXTA.

*Quid post communionem faciem-dum?*

I. Post Communionem, agendæ sunt confessim gratiæ, quod dignatus sit Deus ingredi in te, & suscipi à te. Quocircà opportunè adieceris Psalmum sequentem.

Laudate Dominum omnes gētes: laudate eum omnes populi.

Quoniam confirmata est super nos misericordia eius: & veritas Domini manet in æternum.

Gloria Patri, &c. Sicut erat, &c.  
Anima Christi sanctifica me:  
Corpus Christi salua me:  
Sanguis Christi inebria me:  
Aqua lateris Christi laua me:  
Passio Christi conforta me:  
Obone I E s v , exaudi me:  
Intra vulnera tua absconde me;  
Et ne permittas me separari à te.  
Ab hoste maligno defende me,

In

In hora mortis meæ voca me,  
Et iube me venire ad te,  
Ut cum sanctis & electis laudem te,  
In secula seculorum, Amen.

Gratias tibi ago, Domine sancte Pa-  
ter, omnipotens, & æterne Deus, qui me  
indignum famulum tuum, nullis meis  
meritis exigentibus, sed sola dignatione  
misericordia tua, satiare dignatus es pre-  
tioso corpore, & sanguine filij tui, Domi-  
ni nostri Iesu Christi. Te deprecor, vt  
hæc sancta communio non sit mihi rea-  
tus ad poenam, sed intercessio salutaris ad  
veniam. Sit mihi armatura fidei, & scutu  
bonæ voluntatis. Sit vitiorum meorum e-  
vacuatio, concupiscentiæ ac libidinis ex-  
terminatio; caritatis, patientiæ, humilita-  
tis, obedientiæ, omniumq; virtutum aug-  
mentatio: cōtra insidias inimicorum tam  
visibilium, quam inuisibiliū firma defen-  
sio: motuum meorum tam carnalium, quam  
spiritualium perfecta quietatio: in te uno,  
ac vero Deo firma adhesio, atq; finis mei  
felix cōsummatio. Et precor te, vt ad illud  
ineffabile conuiuum me peccatorem per-  
ducere digneris, ubi tu ipse es cū filio tuo,  
& spiritu sancto, sanctis tuis lux vera, satie-  
tas plena, gaudium sempiternū, iucundi-  
tas consummata, & felicitas perfecta,  
Amen.

*Oratio S.**Thomæ ad**Deum Pa-**trem.*

H C

Com

**D. Petri Ca** Commendo metibi, serenissima, ve-  
 nisij preca- reque inclita Virgo Maria, cæli, ac terræ  
 tio ad B. Regina, quæ in tuo sacratissimo vtero eum  
**Virg. post** dem Dominum, & omnium Creatorem,  
**Communio** quem ego modò suscepi, de Spiritu sancto  
**scm.** conceptum dignè portasti. Precorte, ma-

trem Dei sanctissimam, vt pro me apud eū  
 dem filium tuum intercedas, & quacunq;  
 ratione in summi Sacramenti huius sum-  
 ptione deliqui, huius negligentiae, & indi-  
 gnitatis meę veniam impetres. Tu semper  
 casta, pura, innocens, post conceptum filii  
 etiam castior, purior, & sanctior, Deoque  
 gratior euasisti. Vtinam & me tam diuini  
 Sacramenti perceptione ita sanctifices, vt  
 deinceps cor, & corpus meum ab omni le-  
 thalis peccati macula tuear impollutum.  
 Tu concepto filio de Spiritu sancto ma-  
 gnificas laudes Domino lætè decantasti,  
 & in Deo salutari tuo mirabiliter exulta-  
 sti. O si tuis efficacibus precibus id asse-  
 quar, Virgo Mater, vt cum hac sacra com-  
 munione nouum, & ardentem spiu-  
 tum coniungam, ac semper in gratiarum  
 actione pia verter, tantoq; Rēdemp-  
 tori, & hospiti me nunquam ingratum,  
 sed fidum in omnibus ministrum osten-  
 dam, Amen.

2. Post Communionem necessaria est  
 custodia sensuum, linguæ, & cogitatio-

num.

num. Non est etiam hoc illuc excurrendū, nugandum, ludendum, negotiandum, &c. sic enim quām p̄imū diuini huius cibi sapor, perceptusque in communione spiritualis odor euansceret, fieretque quodammodo sacramento iniuria.

3. Aliquid tribui debet piæ meditationi; quæ instituetur vel de SS. Trinitate, vel de B. Virgine, vel de Christi passione, & mysteriis redēptionis nostræ, vel de venerabili Sacramento, vel de Sanctis, prout dies ipse feret, & postulabit: propterea de his omnibus non omissa est hoc Manuali apta meditationi materia.

4. Postremò, eo die, quo sacram mensam adierimus, maximè erit adeūda **Concio**, frequentandi Sodalitatis cœtus, audiendæ vesperæ, aliæque laudes diuinæ: & quicquid obsequij, bonarumque operacionum huic hospiti exhiberi poterit, non erit omissum.

H 7 PARS